



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

VII. Non licet episcopis Hospitalarios excommunicare vel interdicere, vel eorum oratoria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.

CAP. VI.

*Idem venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, & ceteris ad quos literæ istæ peruenerint.*

Dilecti filii nostri fratres Hospitalis Hierosolymitani transmissa nobis conuestione monstrarunt, quod vos eis de malefactoribus suis iustitiam exhibere non vultis: priuilegia eorum inspicere contemnetes, nec ipsos elemosynas quærere in vestris parochiis, aut confratres ipsorum sepelire, aliquatenus permittatis. Quoniam igitur iidem fratres multis sunt libertatibus & priuilegiis a Romanis pontificibus præmuniti, quæ vt nostris temporibus infringantur, nolumus sustinere: fraternitati vestra, &c. quatenus iam dictis fratribus in his quæ a Romana ecclesia noscuntur indulta fuisse, nullam prorsus molestiam faciatis, nec ea sibi contradicere vel negare aliquatenus attentetis. Si de vobis in veritate talia de cetero poterimus comperire, pro certo sciatis, quod nos concessa vobis priuilegia decidemus, cum nostris & ecclesiæ Romanæ scriptis authenticis obuiare minime timeatis.

CAP. VII.

*Idem episcopis, archidiaconis, & aliis ecclesiarum prælatis per Galliam constitutis.*

Sane quoniam a prædecessoribus nostris & a nobis est statutum, vt scilicet Hospitalarios ipsos excommunicare, vel oratoria sua interdiceri nemini liceat, vobis auctoritate præsentium iniungimus atque præcipimus, vt prædictos fratres Hospitalis Hierosolymitani, aut ecclesias suas interdiceri vel excommunicare nullatenus præsumatis.

CAP. VIII. *Idem.*

Simili modo sancimus, vt quicumque in eorum fraternitate fuerit receptus, si forte ecclesia, ad quam pertinet, a diuinis officiis fuerit prohibita, eumque mori contigerit, eidem ecclesiastica sepultura non denegetur, nisi nominatim interdictus, aut anathematis vinculo fuerit in-

Pars cap. In  
literis quas  
a nobis, sup.  
de potesta-  
te iudicium.